

534

DISPUTATIO ACADEMICA
De
VOLUNTATE
SIGNI ET BENEPLACI-
TI, RESPECTU DEI,
Quam
DEO OPT. MAX. ANNIENTE

&
Permissu Amplissimæ & Spectatissimæ Facul-
tatis Philosophicæ
In illustri Salana
Sub PRÆSIDIO
VIRI

Amplissimi atq; Excellentissimi
DN. JOH. CHRISTOPHORI
Hundeshagen / Logicæ atque Philofo-
phiæ Primæ P. P. longè celeberrimi,
Dn. Patroni, Fautoris atq; Præceptoris sui ma-
xime colendi,
Publico Φιλοσοφύντων Examini sul jicit

CHRISTIANUS ADAMUS-PAVONARIUS,

Eimpeccensis Saxo.

Ad diem Julii

In Acroaterio Philosophico
H. L. Q. C.

a. LVII. 14.

Typis SAMUELIS ADOLPHI MÜLLERI,

Anno MDCLXIX.

78

I. diss. A
14

VIRIS
*Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis,
Prudentissimis*
DNN.

CONSULIBUS, Civitatis Eimbeccensis gravis- simis, reliquisque ordinis Sena- torii ibidem Spectatissimis,

*Dominis Patronis, Mæcenatibus & Studiorum
suum Promotoribus, omni observantie
& honoris cultu et atem suspiciendis,
colendis,*

Hanc Disputationem, ceu Studiorum
suum primitias,

ea, qua par est, submissione


offert

dicat

dedicat

Christianus Adamus Pavonarius.





I. N. J.

§. I.

Sciendum est, quod Voluntas Dei variis modis distinguitur, non quidem secundum se, sed ex parte objectorum & circumstantiarum. Quo de Petrus Lombardus Lib. I. distinct. XLV. p. 214. & 315. ita loquitur: *Hic non est prætereundum nobis, quod Sacra Scriptura de Voluntate Dei variis modis loqui consuevit: Et tamen non est Dei voluntas diversa, sed locutio diversa est de voluntate, quia nomine voluntatis diversa accipit. Nam voluntas DEI verè ac propriè dicitur, quæ in ipso est, & ipsius essentia est, & hæc una est, nec multiplicitatem recipit, nec mutabilitatem &c.* Martinus Becanus in *Theol. Schol. parte 1. Tr. 1. cap. XI. qu. 1. p. 104.* his utitur verbis: *Supradixi, Scientiam Dei secundum se unicam esse, licet ex parte objecti varia sit. Idem nunc dico de Voluntate DEI. Una est secundum se: multiplex ex parte objecti, & circumstantiarum. Dividitur autem his modis. Primo à Scholasticis, in voluntatem signi & beneplaciti. Secundo ab iisdem, in voluntatem absolutam & conditionaram. Tertio à Damasco, in voluntatem antecedentem & consequentem. Quartò, ab Augustino, in voluntatem efficacem & inefficacem. Quintò, à Calvinistis, in voluntatem revesatam & arcanam. Alia alii adhuc addunt distinctionum genera, vid. Gerb. exeg. L. 2. de nat. Dei & attrib. div. num. 267. & seqq. Et Meisn. anthrop. d. 12. q. 1. th. 1. & seqq.* Nobis jam, missis cæteris, cum voluntate signi & beneplaciti res est.

§. 2. Hac distinctione & Scholastici & Calviniani uuntur, sed sensu diverso. Inter Scholasticos proponit eam,

A

Thomae

Thomas Aquinas parte 1. summae quest. 19. art. 11. exponitque
in corp. art. ita: Voluntas propriè de Deo dicitur. Et ideo in Deo
distinguitur voluntas propriè, & metaphorice dicta. Voluntas e-
cūm propriè dicta, vocatur voluntas beneplaciti. Voluntas autem
metaphorice dicta est voluntas signi, eo quod ipsum signum vo-
luntas dicitur. Vid. idem Thomas in sentent. distinet. XLV.
quest. IV. Col. 2. p. 140. Magister Durandus de Sancto Portia-
no l. 7. dist. XLVI. quest. III. fol. CXXXII I. ita describit: Vo-
luntas, inquit, beneplaciti est voluntas propriè dicta: vel actus
suis volendi, quo aliquid sibi placet: sed voluntas signi dicitur
metaphorice voluntas DEI: eo modo, quo signum nominatur
metaphorice nomine rei, cuius est signum: ut imago Herculis,
vocatur Hercules. Gregorius de Valentia Tom. I. disp. I. gener.
quest. 19. Punct. 2. col. 400. ita explicat: Voluntas beneplaciti,
ait, appellatur ipsa inclinatio seu propensio DEI in objectum à se
cognitum, que inclinatio propriè divina voluntas nominatur, ut
patet ex ratione vocabuli. Voluntas autem signi vocatur id,
quod solet esse apud nos signum voluntatis erga aliquid, quod id-
circo ex ratione quidem sua solet esse, aut certè potest esse, signum
voluntatis etiam divine. Quamobrem hæc divisio divine vo-
luntatis, non est univoci in univocata, sed analogi in analogata.
Nam de signo divine voluntatis non dicitur voluntatis nomen-
nisi metaphorice, & analogice &c. Denique Gvilielmus Estius
Tomo I. Comment. in IV. libr. sent. libr. I. dist. XIV. §. 7. p. 219.
hoc modo declarat: Dicitur, inquit, voluntas beneplaciti in
Deo, qua vult aliquid propriè loquendo &c. Voluntas autem
signi dicitur temporarium aliquod signum voluntatis, id est, res
aliqua vel actio, que voluntatis signum esse solet. Hæc illi.

§. 3. Ex quibus patet, Scholasticos voluntatem be-
neplaciti vocare internum aliquem actum, sive consilium
Dei; voluntatem signi verò verbum aut actum aliquem tem-
porarium, quo interiorem æternum actum seu consilium ho-
minibus manifestat. Hanc signi voluntatem faciunt quintu-
plicem, & recensetur à Gregorio de Val. Dato loco, & Fran-
cisco Svarezio super primam Thomæ l. 3. de attrib. div. c. 8. p.
148. (1.) Præceptum. (2.) Prohibitio. (3.) Consilium. (4.)
Permis-

Permissio [Quæ tamen an rectè dicatur voluntas signi, in con-
flictu, si opus fuerit, videbimus: consule interim si libet,
Scheiblerum lib. II. Metaph. Cap. III. p. undl. II. pag. XXVIII.]
(5.) Operatio. Si igitur Deus vel præcipit, vel prohibet &c.
Suam nobis assignat voluntatem, atque beneplacitum.

§. 4. Hæc Scholasticorum de distinctione voluntatis
divinae in voluntatem beneplaciti & signi mens est. Quam
etiam B. Lutherus Tom. 6. VVitreb. pag. 98. in comm. cap. 6.
Gen. approbat: *Nos* (inquit) *in N. T.* habemus Baptismum,
Cœnam Domini, *absolutionem & Ministerium Verbi*, hæc sunt,
ut Scholastici vocarunt, voluntas signi, in quæ intueridum est,
cùm Dei voluntatem scire volumus: alia est voluntas benepla-
citi, substantialis Dei voluntas, seu nuda ipsius majestas, quæ est
Deus, ab hac removendi sunt oculi. Calvinianos quod atti-
net, abite eos videmus in sententiam ab hac Scholasticorum
sententia remotam. Plurimi abutuntur hac distinctione,
eamque in alienam significationem detorquent, hanc scili-
cet, circa unum & idem objectum Deum voluntate benepla-
citi velle, quod voluntate signi nolit, v. gr. Voluntate bene-
placiti velle mortem & damnationem plurimorum, quam-
nolit voluntate signi, & contra velit voluntate signi, quod no-
lit, voluntate beneplaciti. *Vel*, Voluntatem signi esse, quan-
do D E U S exterius aliquid patefacit, & velle se dicit, imò ju-
bet etiam, quod tamen nequaquam seriò vult, quia de eo in-
tus in arcano consilio suo longè aliud decretum habet. Vo-
luntatem verò beneplaciti, quando arcano quodam, absolu-
to, omnesque causas antegresso decreto aliquid vult, si vel
maximè exterius significet, se id non velle. Quod hæc illo-
rum mens sit, patet ex ipsorum verbis, quæ ex Cal-
vino, Beza, Zanchio, Rennechero, Thysio, Piscatore, Pareo,
Bucano, & aliis annotarunt cùm Nostrates, B. D. Gerhardus
part. i. disp. Theol. de gloria Dei disp. 6. Sigvardus in admonit.
de Irenico Paræi p. 433. seqq. D. Jacob. Martin. disp. 10. Coll.
novi Anti-Calv. §. 7. D. Meisnerus part. 1. probæ Calvinist.
cap. 1. p. 77. seqq. & part. 2. probæ cap. 5. pag. 488. Dnn. Theo-
logi Hasso-Darmstadini in der gründlichen Ausführung cap.

A 3

2. pag.

2. pag. 66. seqq. Tum Reffonstrantes seu Arminiani in Actis
Synodalibus ad Artic. 3. p. 11. 12. 13. 14. Ibid. p. 38. 39. 41. 42. seqq.

§. 5. Verum hæc explicatio Calvinianorum purum,
putum commentum est. Ut enim nihil de eo dicam, quod Loca illa SCRIPTURÆ (qualia reperire est Ezech. XXXIII. II. &
II. Petr. III. 9.) quæ de volūtate signi Calviniani interpretatur,
omnino importent, Deum serio velle ipsum, quod verbis ibi
expressum est; de quibus Theologos videoas, cum hæc nihil ad
nos: Cuivis facile patet, hanc Calvinianorum sententiam.
statuere in DEO duas voluntates contradictorias aut contra-
rias. Quid? quod non difficile sit, hunc in modum procede-
re, talemque instituere discursum. Voluntas divina signi, si-
ve, ut apertius loquar, signum voluntatis divinæ aut habet si-
gnatum, ad quod referatur, aut non: si non, etiam non est vo-
luntas signi; in hoc enim quidditas sive ratio formalis signi
consistit, ut habeat signatum, sive, ut potentiaz cognoscitivæ
aliquid repræsentet: Si habet signatum, aut cum eo conser-
tit, aut minus: Si hoc, signum voluntatis divinæ falsum erit
& nullum; non enim cum suo signato consentit, sed significat
aliud, præter id, cuius dicitur esse signum, & non exprimit id,
quod intus est decretum, adeoque si DEUS tali falso signo
adversus homines utitur, impostor erit, nec melior multò,
quam Judas olim, qui ab osculo (ut or verbis præfulis Hippo-
nenis) incipiebat bellum, & per pacis indicium pacis rumpebat
Sacramentum. SIN illud, jam signatum nihil erit aliud,
quam ipsa Dei voluntas interna, utpote quæ per illud signum
fuit extra manifestata: Atqui si hoc, tunc falsissimum est, vel-
le quicquam DEUM beneplaciti voluntate, quod nolit
voluntate signi, aut contra. Hinc Svarez, hanc Scholastico-
rum distinctionem, qua Calviniani pessimè abutuntur, expo-
nens in Operibus super I. Thome l. 3. de attr. div. c. 8. p. 148.
rectè scribit: Signum voluntatis metaphorice dici voluntatem,
semper tamen in Deo indicare aliquam veram voluntatem, alias
non esset verum signum, neque nomen voluntatis mereretur: si-
cuit homo pictus, nisi verum hominem repræsentaret, nec analogi-
cè homo dici posset. In his ergo signis attente considerandum est,
quam veram voluntatem in DEO indicent.

§. 6.

§. 6. Præterea illud Calvinianorum commentum repugnat (*a*) divinæ Sapientiæ. Hæc non sinit, Deum præcipere ea, quæ nolit. (*B*) DEI bonitati. Quomodo enim salvæ divinæ Bonitate summâ dici potest, Deum velle (*voluntate signi*) ut v. gr. homo pœnitentiam agat, atque amplectatur fidem sub æterna condemnationis pœnâ; & tamen non velle (*voluntate beneplaciti*) ut resipiscat & credat, sed potius, ut condemnetur.

§. 7. Ut ut verò clara hæc sunt atque perspicua, Calviniani tamen nondum acquiescunt, sedogganiunt multa, ex quibus nos brevitatis Studiosi, præcipua saltim videbimus.

§. 8. Synodus Dordrechtana pag. 738. secundum edit. Hanoviensem ad verba Servatoris Matth. XXIII. *Quoties volui aggregare liberos tuos:* commentatur: *Hæc vero Deitatis suæ voluntas, per Prophetas explicata, non fuit voluntas beneplaciti, (NB.) alioqui fuissent omnes aggregati, sed fuit voluntas signi, qua DEUS, quid ab omnibus fieri vel omitti velit, declarat &c.* Verum, quis ignorat ex Metaphysicis, ex eo, quod quis finem non fuit asecutus, non licere colligere, eum finem non intendisse? Certè non valet consequentia ab intentione finis ad ejus executionem; nec à negatione consecutionis finis, ad negationem ejusdem intentionis. Decipitur ergò & decipit, quisquis argumentatur: *Si DEUS (voluntate beneplaciti) seriò vellet atque intenderet omniam hominum salutem, utique & omnes salutem consequerentur.* Et porro: *Non omnes liberi Hierosolymitani sunt aggregati.* Ergò ne intentio seu voluntas beneplaciti Christi fuit eosdem aggregandi. Audite, Calviniani, aliud. Franciscus Junius non factus fuit Politicus, sed Theologus, ergò pater ipsius non seriò voluit, ut Politicus fieret; id quod tamen toties in sua testatur vita &

§. 9. Sed audiamus porro Piscatorem, qui nescio quo agitus Spiritu, in Resp. ad Apol. Bertii p. 145. *Absurdum.* inquit, non est, Deum interdum loqui falsum, & nos teneri DEO id, quod falsum est, afferenti credere. Et in resp. Apolog. ad Vorstium pag. 201. DEUM accusat boni doli & sanctæ simulationis, ideo, quod vocet, quos tamen nolit venire. Sic quo-

A. 3.

que

que in Resp. ad amicam duplicat. Vorstii pag. 327. Non, ait, sequitur: Deus est sanctissimus & veracissimus, Er. non vult, interdum falsum pro vero amplectamur, quia Scriptura utrumq; testatur, DEUM scilicet & Sanctissimum & veracissimum esse, & tamen voluisse, ut Abraham statueret eum velle, ut ipse mactaret filium, quod tamen falsum erat, qui a revera hoc non voluit, quia impedivit. Huic exemplo, quod petitum est ex Gen. XXII. v. 2. & 21. Wendelinus addit aliud ex Exod. IX. ubi v. 11. DEUS per Mosen dicit ad Pharaonem: *Dimitte populum meum, ut serviant mihi*, & tamen v. 12. ait Moses: *Obfirmavit Jehova cor Pharaonis, ut non auscultaret eis.* Quibuscum parum dissentire videtur Tuvissus, quando in vindit. Gr. fol. 223. Non, inquit, pugnant ista: *Tui est officium, ut hoc facias, sed non est mei propositi per gratiam efficere, ut facias.*

§. 10. Sed respondemus Piscatori (α), quod *āorōnē* sit & blasphemus, atque his suis blasphemis malo mendacij agitatus Spiritu resistat Spiritui S., qui tot tantisque testatur testimoniis, DEUM nostrum non falsum, sed verum & summè veracem esse, non falsa sed vera loqui, non esse hypocritam, non simulatorem, non posse mentiri, non esse mutabilem, omnia ipsius opera esse in veritate, in ore ipsius non inventum dolum. Consule Scripturam & Theologos passim. (β) Rectâratione magistrâ ducimus Piscatorem nostrum per tres illas ab Autoribus bene tritas vias, & (1.) quidem per viam negationis. Nam falsum esse, sive falsum loqui, est defectus, E. à DEO removendus. Et velut Plinius (homo spissis gentili-
smi tenebris involutus) lib. II. hist. natur. C. VII. in defectu peccat, quando DEO denegat omnipotentiam, ideo, quod non potest mentiri, sic noster peccare hic videtur in excessu, tribuendo DEO non falsum loqui, sive (quæ nobis hic, quamvis alias nonnullis non soleant, idem) non mentiri, quod tamē DEO non competit per suam Omnipotentiam, utpote quæ involvit non fieri possilia nullamque imperfectionem importantia, atque ita defectum, qualis est non falsum loqui, si-
ve mentiri, planè excludit. Magna, inquit Augustus ille Ec-
clesiæ Præsal Augustinus, *potentia est, DEUM non posse mentiri.*

Lib. XV.

Lib. XV. de C. D. c. 15. (2.) Per viam Eminentiae. Veritas est quædam perfectio, E. Deo tribuenda. (3.) Per viam Causalitatis. DEUS est causa omnis veritatis cum fundamentalis, tum formalis, E. ipse quoque est verax, & non falsus. Vid. B. Gerh. *Isagog. 60. disputationum Tom. I. L. II. C. VI.* s. 15. Theol. Scholast. *Becani Tr. I. s. 16.* Christophorum Scheiblerum c. 1. & alios. (γ) Quid? quod DEUS ipse per filium suum nobis præcipiat Matth. V. v. 37. Sermo vester sit NAI NAI, OY OY, quicquid præter ea est, ex malo est. Si noster sermo talis esse debet, quantò magis DEI præcipientis? *Turpe est Doctori, si culpa redarguat ipsum.* (δ) Omnis dolus in & per se malus est, & (cū primis in salutis negotio) prohibitus, per accidēs autē fit & respectu alterius, quod ipsi quandoque cedat in bonum aliquod utile; quæ tamen omnia in rigoroso iustitiae divinæ foro bona & recta non sunt. *Estigitur prepostorum studium & commentum divine veritatis equilibrium ad falsam humana- rum auctoriorum lancem exigere velle atque examinare.* Vid. *Disp. I. Colleg. Anti - Vendel.* Gerh. *Animadvers. I. s. 8.* (ε) Non disputatur præcisè, an Deus interdum extra salutis negotium aliud videatur verbis præ se ferre, quam decrevit. Sed an intra salutis negotium hoc faciat, id quod negatur. Quo de videoas Theologos, B. Meisnerum in *Avgew. sacra dec. 2. disp. XII. quest. I. n. XXXII.* Brochmandum *System. Theol. Artic. 13. Cap. 2. XXIX. p. 242.* & alios. Nam ultimum hoc his non diducemus, ne committamus μεταβασιν ιις αλλο γενος. (ζ) Ad exemplum illud Abrahā bene respondet B. tanus in *Theol. Scholast. p. I. tr. I. cap. XI. num. 3.* Quando, inquit, DEUS præcepit Abrahamo, ut immolaret suum filium, significabat quidem se velle, ut esset obediens & promitus ad immolandum; non tamen ut r̄ ipsā immolaret. Quo cum consensit B. Meisnerus loco citato.

§. II. Objectioni Wendelinianæ jam dudum satisfecit, & adhuc hodie in Collegio privato satisfacit, Vir plur. Rev. Dn. D. Musæus. in *Disp. Anti - Calvin. M.S.* quando ait: *Quod Deus v. 1. per Mosen dixit ad Pharaonem: Sic ait Iehova Deus Ebraeorum: Dimitte populum meum, ut serviant*

B

mibi,

mihi; id bene conveniebat cum mente & voluntate DEI. Volebat enim DEUS serio & ex animo, ut Pharaon dimitteret populum suum. Quod autem v. 12. C. x. 20. 27. C. IV. 21. dicitur, DEUM obfirmasse, vel obfirmaturum esse cor Pharaonis, ne dimitteret populum Israëliticum; non Causaliter, sed cunctis ratione eventus, qui signa, adflectendum ejus animum edita, praeter Dei intentionem secutus est aut secuturus erat, intelligendum est.

§. 12. Ad te quod attinet, Tvvise, scis, tibi quoque jam satius magnis nostrarum partium Theologis esse responsum. Nos ducimus te ad sanam rationem, nisi tamen (ut vetus verbum est) peponem pro corde, & fungum pro cerebro habeas; dic ergo, anne tua *non-pugnantia* pugnat modis omnibus cum æquitate DEI summa? An non summa crudelitas, summa tyramnis esset, si princeps omnes gladios, omnes bombardas subditis suis auferret, decretumque faceret, se nolle iis unquam quicquam armorum concedere, & tamen quotidie mandaret ac præciperet, ut contra incurrentes hostes gladiis & bombardis illis pugnarent, adeo, ut si hoc non facerent, puniturus ipsos sit gravissime, & revera quoque tandem puniret? Cave, cave, Tvvise, ne & tu omnium, quibus sana mens est in corpore fano, risu puniaris.

§. 13. His nunc fugatis nebulis vela possemus contrahere, & sub sereno veritatis Phœbo tuni acquiescere, sed en profilit & cum Vulcano occurrit Chamier Tomo 2. Panstrat. l. 3. c. 8. p. 47. hic clamoribus omnia complet, stomachatur, taxat, quantum potest, doctrinam Scholasticorum de distinctione Voluntatis DEI in voluntatem beneplaciti, & signi, accusata eos partim petulantiae, partim malitiae, quod S. Scripturam pro ludibrio habeant, vocabulorum sono abutentes, rebus ipsis neglectis: Item stupiditatis atque ignorantiae, quod operationem Dei referant ad voluntatem signi, n. 10. Denique negligentiae, quod in voluntate signi explicanda negligentiores fuerint, ideo quod prætermiserint minas & promissiones; Verba ejus n. 12. sunt hæc: Quid? quod in voluntate signi negligentiores fuere: Nam si ita significatur modus omnis, quo hominibus apparet aliquid DEUM velle:

velle: certè plures ejusmodi voluntates numerari debuerunt, quam quinque. Nam minæ & promissiones, neque præcepta sunt, neque prohibiciones, neque permissiones, neque consilia, neque operationes. Et tamen ita proponuntur, quasi sint voluntas DEI. Ita Ninivitis minatus est à Domino excidium Jonas. Ita Ezechia Regi mortem Isaías.

§. 14. Ad hæc, quæ sunt multa, multa etiam possent regeri. At cùm instituti ratio nos ad finem jubeat properare, ad ultima saltim, (reliqua conflictui reservantes) quæ Scholasticorum distinctionem insufficientiæ accusat, respondemus. (α) Fortassis quosdam ex ipsis Scholasticis adeò sollicitè non esse negaturos, distinctioni eorum voluntatis signi in præceptum, prohibitionem &c. alia adhuc voluntatis divinæ signa posse addi. Id quod lubens etiam fatetur Estius L. 1. sentent. dist. 54. §. 7. p. 219. lit. E. qui videri potest, cùm verba ejus hic nequeant adscribi ob prolixitatem. (β) Durandum tamen lib. 1. sent. fol. 133. sufficientiam quinque signorum voluntatis Dei satis probare. Quid? quod secundùm Durandum non adeò forsan sit inconveniens, si minæ & promissiones ad prohibiciones & præcepta, quibus annexæ sunt, referantur: Id quod docet etiam & expressè fatetur, Johannes Strangius, SS. Theol. D. & in Acad. Glosguensi Prof. Primarius. lib. 1. de Voluntate DEI circa peccatum, cap. 31. p. 12. (δ) Denique & hoc venit observandum, quod scil. Chamier distinctionem Voluntatis divinæ in voluntatem beneplaciti & signi non simpliciter, sed saltim eo sensu, quo Scholastici eam accipiunt, rejicit; retineat verò & probet, prout à socio suo Beza accipitur. Id quod Chamier fatetur ipse Tom. 2. Panstrat. l. 3. c. 8. p. 47. §. 6. quando inquit: *Voluntatis distinctionem in signi & beneplaciti, video probari Beza. Imò non probari: Longè enim alio sensu, quam à Scholasticis proponatur. Signi appellat, quam hominibus ipse DEUS patefecerit. Beneplaciti, quam apud se retineat, nobis occultam: ut quam pollicetur Abraham, se fore DEum, tum ejus, tum seminis ab eo oriundi, ea sit voluntas signi; At quum Ismael & Esau rejicit, beneplaciti. Hoc sensu, vult DEUS*

B 2

mala

*mala semper voluntate beneplaciti, interdum etiam voluntate
signi. Multa enim eventura jam ante prædictis, hoc est signifi-
cavit, se velle, ut evenirent. Exempli gratia, traditionem Chri-
sti, quam tanto ante significaverat per Prophetas. At Schola-
stici disertè pronunciant DEUM, nunquam velle malum, volun-
tate beneplaciti. Sed betizet, ut Svetonii verbo utar, Beza, &
Chamer. Nos receptui canimus, & ob signamus Disputatio-
nem nostram verbis D. Mentzeri *Exeg. Aug. Conf. Artic. VII.*
Distinctionem inter voluntatem signi & beneplaciti miserri-
mè depravant Calviniani, tanquam sint duæ, eæque contraria
voluntates. Nos tenemus immotum fundamentum, quod di-
vinum beneplacitum sit in Christo, & per Evangelium nobis re-
veletur. Quare non alias siue contraria voluntas est in signo, &
in beneplacito: sed voluntas signi est Dei voluntas, quam in
verbo suo & Sacramentis Deus nobis revelavit. Consentit
Becanus in *Theologia Scholastica* cap. 12. pag. 105. Extra
Christum igitur nobis in Scripturis propositum, nul-
lum beneplacitum divinum potest inveniri.*

T A N T U M.

Sit

Δ. T. Θ.



Litera-

Literatissimo atq; Præstantissimo

DN.

CHRISTIANO ADAMO

PAVONARIO,

Phil. & SS. Theol. Cultori

strenuo

Fautor, Auditori & Amico dilecto

cum

Publicè Disputaret

De

VOLUNTATE DEI

Tò Eū

acclamat

JOHANNES CHRISTOPHORUS Hundeshagen /
Professor Publicus Ordinarius.

Quid sit velle DEI demonstras *Fautor amande,*

Hinc speres fructus, *præmia certa*
Tibi.

Nominis

Numinis ut dextrè tradas quæ
Diva voluntas,
Auxilians cœptis Numen ades.
se precor.

quod

*Præ-Eximio Dn. Pavonario, Contuber-
nali suo suavissimo, laudabilia B.
sui Parentis vestigia scitè legen-
ti, adprecatur*

M. Tobias Eilmar / Mulhus.

Quei Jovæ constet placiti signique vo-
luntas,

Ductu naturæ luminis ipse doces.

Egregium signum, prodit quod mentis a-
cumen!

Sic doctis signo hoc perge placere be-
ne.

*Calamo volante, animo tamen constan-
ter officioso atque benevolo appo-
nebat hæc honoratissimo suo Dno
Commensali amica mens & ma-
nus*

**M. Christophori Sommeri,
Mellenbachio-Schwarz.**

SIGNUM

*SIGNUM Eruditionis Eruditioribus
BENE PLACET!*

SEdulitatis erit *Signum*, si docta *Voluntas*
Ad Sophicæ laudis præmia clara ruit:
Respondet *Signo* Fautorum prompta *Vo-
luntas*.

Queis labor assiduus, queis benè cura
placet.

*Quo Prastantissimo Dn. Respondenti,
Conterraneo suo honorando, veter-
rum Benè candido pectore accla-
mat*

Christian. Specht/ Gottingâ-
Saxo. S. S. Theol. Studios.

Ge man sich das leuchtende Feuer wil
mächtig erzeugen/
So müssen viel strahlende Funken die
Lüsse ersteigen/
Bis daß sich die wellenweis - flammende
Flamme herneigt/
Und allen das nimmer - ersättliche Feuer
erzeigt.

Herr Vetter Ihr folget mit Götlicher Weis-
heit geziert/
Und steiget zum prächtigen Hause / wo Pallas
regiert/ Hier

Hier schisset ihr guldene Fünklein der Sin-
nen herfür/
Entzündet von Theinis der strahlen- und
pralender Zier.
Die göttlich- und weltlicher Weisheit gewey-
hete Kinder/
Die preisen die Sinnen der Sinnen beginnen
nicht münder/
Wohl! fahret so fermer Ihr Musen beliebe-
ter Sohn
Astræa bereitet die stetig - behägliche Krohn.
Dieses geringfügige hat schuldigster massen seinem
Hn. Betttern und liebwerthen Freunde glück-
wünschent entwerffen sollen und wollen

Dieterich Nolbeck/ L.L. Stud.

Quando concendis Sophicam cum laude
Cathedram,
Ætherei cœptis faveat Regnator Olympi.

*Præ - Eximio Dn. Pavonario,
Amico suo longè suavissimo & à multis an-
nis familiarissimo, paucula hæc scribere
voluit*

JOHANNES CONRADUS
Bischoff, VVinzingeroda - Eichsf.
L. L. Stud.

F I N I S.

Cdt. düss. A. 56, musc. 14